



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Morbi vim ac dolorem homines sæpe, non solùm ad peccata alia, sed  
etiam ad desperationem adigere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

## CAPVT XIII.

## Hominum de Morbis cogitationes, &amp; querela.

I.  
Rom. 7. 24.

**V**elle captos carcere liberari, mirum non est, omnes enim amant libertatem. Quocirca & Pauli vox fuit: *In-*  
*felix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Cic. lib. 5.  
Tuscul.

At seipsum in carcere strangulare, aut jugulo vel pectori cultrum immergere, insania est. Qua insania etiam furunt, qui, ne morbus eos in lecto, velut vinculis, teneat, se ipsos interimunt. Nimirum sæpe tanta est morborum dolorumque vis ad hominis virtutem frangendam, animumque deiciendum, ut eam ad extrema adigat, nec rarò mentis impotem reddat. *Dolor*, ait

2. Cor. 12. 10.

*Tullius, esse videtur acerrimus virtuti aduersarius; is ardentis faces intentat; is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam se debilitaturum minatur.* Itaque tametsi Paulus verissimè affirmarit: *Cùm infirmor, tunc potens sum* (quia corporis infirmitate, interiores animi vires efficiuntur potentiores, atq; ex imbecillitate hominis exterioris, interior fit vegetior, nouis viribus ex hoste nostro domestico, carne nimirum debilitata domitaque resumptis, ut etiam censuit Plato, qui iudicauit, nimis bene valentes minùs idoneos esse ad philosophandum) attamen homo ex infirmitate longè aptior promptiorque redditur, ad ea vitia, quæ corporis viribus non indigent: nimirum quæ non ex audacia, aut nimio feruore concupiscentiæ oriuntur, sed potiùs ex imbecillitate, & pusillanimitate, quales sunt, impatientia, oblocutio, desperatio, & quæ ex altero extremo fortitudini & constantiæ contraria sunt.

II.

Et vel hinc nonnulli obseruant, morbos corporis ac dolores viris grauibus atque seuerioribus molestissimos esse, quia vident, ob illos se se, ex viris & senibus fieri pueros, puerilia sectantes, & sæpe, puerorum more, ingemiscetes, sæpe plorantes, sæpe diem, in qua nati sunt, & parentes ipsos, è quibus nati sunt, detestantes. Hinc apud Philostratum, *Ion Sophista dicebat, rem morosam esse agrotationem. Nam aegrotis & uxor molesta est, & medicum incusant, & lectulum moleste gerunt. Ex amicis autem, & qui accedit, grauis est, & qui discedit, molestus.* Nempe corpore ægroto, facile ægrotat